

iēbat. Hinc Leonis epistola qua regem deprecatur ne Meloduni, hoc est in diocēsis suae parōcia, novus fiat episcopus, ubi nunquam antea fuerat.

IV. Quo autem anno scripta sit epistola, haud plane compertum. Quandoquidem vero in ea senem se dicat Leo atque infirmum, non diu superstes post annum 541 fuisse videtur. Leonis certe successor Constitutus ex provincia Lugdunensi quarta interfuit concilio Aurelianensi v, quod, ut patet ex subscriptione Sacerdotis episcopi Lugdunensis provinciae primae, celebratum fuit v cal. Novembris anno 38 regni domni Childeberti regis, id est anno Christi 549 (a). Neque aliter Hadrianus Valesius (b). Hinc

(a) Coint., l. c., ad ann. 549, §§ 21, 47.

(b) Hadr. Vales., l. c., pag. 478.

iterum non admittenda temporis notatio Papebrochii (c), annum 547 huiusmodi concilio tribuentis. Recollitur sancti Leonis Senonensis memoria in martyrologio Romano x cal. Maias. In breviario autem Ecclesiae Senonensis, ut refert saepe laudatus Cointius (d), sub eadem die sic legitur: *Episcopi officio digne functus, et praemia aeterna consecutus, sepultus est in ecclesia sanctorum Gervasii et Protasii in suburbio Senonensi; ad cuius invocationem multas egrorum curationes et miracula Deus operatus est. Unde factum ut ea ecclesia in parōciale titulum evadens, ipsius sancti Leonis nomine fuerit deinceps appellata.*

(c) Papebr., l. c., num. 4.

(d) Coint., l. c., ad ann. 541, § 71.

S. LEONIS EPISTOLA

AD CHILDEBERTUM FRANCONUM REGEM *.

Domno illustri et in Christo filio Childeberto regi Leo episcopus.

Litteras celsitudinis vestrae honore quo dignum est, me indico suscepisse; ubi sperare dignamini, ut ad ordinandum Meclodonensem episcopum aut praesentia nostra adesse debeat, aut consensus. Quam rem valde admiratos nos gloria vestra cognoscat, quod primum sine jussu gloriosissimi domni principis nostri, filii vestri Theodoberti regis, cujus sumus regni ordinatione subjecti, injungitis ut ea quae anteacto tempore facta non sunt, nunc praesentia nostra aut consensu debeant inchoari. Praecipue nunquam nec suspicari, nec credere potuimus, quod hanc aut ordinis nostro, aut etiam temporibus vestris velleis injuriam generari, ut diocēsim nostram a Deo nobis commissam, et usque nunc pontificali ordine Deo propitio custoditam, tanquam negligentes ac desides, ad alterius permittamus potestatem transire, aut sollicitudinem irrationabili deliberatione transferri. Unde salutantes digno ac debito in Deo charitatis affectu, rogamus ac contestamur, ne ullus pontificum contra statuta Patrum audeat facere, unde possit synodali examinatione convictus de illicita praesumptione culpari. Illa tamen vestris debent fieri, Deo inspirante, temporibus, unde et pax inter sacerdotes esse possit, et plebs non permittatur a pastoris proprii custodia per

novam et illicitam ordinationem divelli. Custodite, queso, statuta Patrum, et canonum severitate constricti, non patiamini, sicut scribitis, ad petitionem ejus plebis superstite proprio sacerdote alterum episcopum ordinari. Quia si hoc petunt, quod nefas est credi, desertores potius judicandi sunt quam fideles. Et non eorum preces facile audiri debent a principe, quorum petitionibus potius generentur scandala, quam pax Deo amata servetur. Quia sicut beati sunt pedes pacem portantes, haec vae his dictum est per quos venit scandalum. Qui si fortasse ob hoc alterum episcopum sibi fieri rogant, quia nos interclusis itineribus ad eos nec visitatorem mittere possumus nec venire, ista culpa nos non respicit: quia si iter a vestra parte, sicut optime nostis, interclusum tanto tempore non fuisset, quamvis senes aut infirmi, populum nobis ecclesiastica disciplina commissum requirere potueramus, aut certe visitatorem, sicut canones statuunt, destinare. Nam gloria vestra optime debet et credere et scire, quia si contra statuta canonum quicumque episcoporum sine consensu nostro Meclodone episcopum voluerit ordinare, usque ad papae notitiam vel synodalem audientiam, tam hi qui ordinarerint quam qui ordinatos fuerint, a nostra erunt communione disjuncti.

Leo Christi servus subscripsi.

* Ex Cointii Annalibus ecclesiasticis Francorum, tom. 1, pag. 604, nec non ex appendice operum

S. Gregorii episcopi Turonensis, edit. Ruinart., pag. 1328.

ANNO DOMINI DL.

JUNILIUS, EPISCOPUS AFRICANUS.

NOTITIA (ex Gallandio).

I. Junilius, incertae urbis in Africa episcopus apud recentiores vulgo censetur, cum tamen de il-

lius episcopali dignitate nulla, quod quidem sciam, extet apud veteres mentio: quin, si Fabricium au-